Viro summe Venerabili
D. I. C. Schmidio
Fautori Suo Exoptatissimo
Th. Ch. Harles
S. P. D.

Litterae TVAE, quibus me ornasti, tam iucundae tam gratae fuerunt, ut laetitiam, quam ex illis cepi, non satis possim significare. TIBI, VIR Venerabilis me multa debere, TEque a me omni pietatis cultu, pro eo ac iustum est, coli, si denuo testarer TIBI, metuo, ne TIBI toties promittendo eodem officio nauseam excitarem. Hoc tamen liceat mihi, spondere omnem religionem, et, nisi iam antea fuisset maxima, maiorem atque

130 v

ardentiorem. Niſi virium imbecillitas mihi maxime eſſet cognita, in publica quadam ſcri-ptiuncula gratam piamque mentem SSBB de-clararem. Eam ob cauſſam ſcirem, num com-mentatiuncullam de antiquitatibus Corinthiacis, quam in ſocietate latina, cum eam primum sa-lutarem, recitavi, ſenatui ſacro Byru-thino, atque adeo etiam SSBB dedicare ſine ulla offenſa mihi ſit permiſſum. At vero neſcio quo fato ordo VV. Ven: Aſſeſſorum eorumque dignitates atque praenomina ſunt incognita. Alumnus ſtipendii Heilbronenſis, quod illorum beneficio acceptum refero, omni-no, reor, habeo, quod illam cumprimis, ſi mihi conceſſum eſt, His tantisque Viris ſacram eſſe iubeam, et rationem veluti quandam ipſis reddam. Vellem, ſi Deus vires vi-tamque ſiverit, patronorum patrocinio adiu-tus, Lipſiam, ubi Erneſti, Gottſchedius, et

Boehme VV. Cell: operas proponderant, aut
Göttingam, vbi Michaelis V. Cel. per litteras
opem ferre promisit, frequentare, ad vires
in humanioribus litteris magis exercendas.
Officiis patriae, cui omnia debeo aliquando
rite praestandis haud plane idoneum auxi-
liante Deo redderem, si TVO, VIR Celeber-
rime, beneficio operaque stipendium heil-
bronnense ad vnum saltim annum prolonge-
tur. Diu enim hucusque vero belli strepitu
impeditus flagravi desiderio ab ore penden-
di aut Ernesti aut Gesneri VV. Incompara-
bilium. Forsan belli flamma mox extincta
ope huius prorogationis votis meis possum
satisfacere. Si TIBI videbitur, per
litteras supplices senatus sacri fidem implo-
rabo auxiliumque. Si votis meis responderis,
ob auctoritatem TVAM, qua vales, iam spero
fore vt repulsam haud feram. Limites trans-
grederer, nisi hic figerem. Liceat adhuc mihi

TE' obſeruantiſſime rogare, vt imprudentiae
meae ignoſcas, meque antiquo SVO fauori
curae atque patrocinio numquam non ha-
beas commendatiſſimum. Vale. Ienae
ſcrib: XIII Cal. Octobr. MDCCLX.